

prophetias non contemnite“;²⁶³ „Omnia probate, quod bonum est, tenete.“²⁶⁴
 In nostra hac causa disputatio, an natura humana Christi sit vbique, an potius
 corporali locatione in vno loco coeli, item, an corpus Christi spoliatum sit
 omnibus proprietatibus corporis, vere controuersia est de fundamento, videli-
 cet de duobus articulis fidei: 1. de articulo, qui docet in Christo vere vnitas 5
 esse duas naturas, 2. de articulo: ascendit in coelum, qui simpliciter vt verba
 sonant non vero per allegoriam accipiendus est.²⁶⁵ Haec pars, cum insuper
 pia cura vetustatis accurate exposita et communita sit contra Eutychem, ideo
 serio explodenda est recentiorum πανταχοσία vel vbiquitas neque hic mus-
 sandum est, quaecunque sane ostendantur pericula. Ideo quidam vir vere 10
 sanctus dixit: „In nulla causa gloriosius esse mori, quam in ista, vbi agitur de
 gloria Filij Dei, de quo nostra voce, confessione et sanguine, vbi opus est,
 testificari debemus, eum vere assumpsisse et retinere naturam humanam
 propter nos, et illud corpus assumptum non euanuisse, non absor-[92:]ptum,
 non mutatum in aliam naturam, sed vere adhuc vnitum τῷ λόγῳ, vt nos ipsi 15
 inseramur, tanquam membra nostro capiti et nostras mentes fide cum pio
 desiderio sursum, vbi est Christus caput nostrum, eleuemus, a quo vitam et
 gloriam haurimus sicut membra languentia et torpentia robur a suo capite
 physico.“

Certamen etiam grauissime est cum illis, qui stabiliunt adorationem panis, id 20
 est iubent homines ad locum panis, cum quo Christus coniunctus esse doce-
 tur praesentia physica, dirigere suam inuocationem contra manifestam doc-
 trinam euangelij, quod vetat vllum cultum sine expresso mandato Dei institu-
 ere sicut dicitur: „Dominum Deum tuum adorabis et illi soli seruias“;²⁶⁶ item:
 „Veniet tempus, vbi nec in hoc loco nec Hierosolymis adorabitur, sed veri 25
 adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate.“²⁶⁷

Sunt alij multi infirmi aut saltem modestiores, qui palam fundamentum non
 oppugnant, sed retinent quasdam opiniones minus commodas quasi haeredi-
 tate acceptas de praesentia reali veri corporis, quibus, vbi incommoda et pe-
 ricula huius sententiae proponuntur, quoquo modo sese velant, ne videantur 30
 impingere. Tales non damnamus, sed etsi sese perfecte erudiri non patiuntur
 neque veteres opiniones stabilitas auctoritate magnorum hominum exuere vo-
 lunt, tamen oramus, vt inducias nobiscum paciscantur, et parati sumus eos
 pia cum moderatione tolerare et christiana dilectione complecti.

Colloquia sua et scriptiones etiam pij optime possunt excusare. Primo: 35
 Necessesse est singulos edere confessionem suam de voce coelesti, praecipue cum
 intelligunt plurimos errantes in interpretatione doctrinae. Porro magis perspi-
 cue faciunt hoc, qui recte docent et scribunt, quam alij sicut dicitur: „Omnis,

²⁶³ I Thess 5,19f.

²⁶⁴ I Thess 5,21.

²⁶⁵ Vgl. Philipp Melanchthon, Enarratio epistulae Pauli ad Colossenses (1559), in: CR 15, 1271.

²⁶⁶ Dtn 6,13; Mt 4,10.

²⁶⁷ Joh 4,23.